



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 12. in malè fermentatos, sive im patientes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

que in diabolum commutari, nè hominem plenum gloriâ sic videret. Hæc sermonis aurei Orator. Mutavit ergo invidia Angelum in dæmonem, quidni commutâset & hominem & quidem in immanissimum & nequissimis nequiores.

Sed quid mihi cum incarnatis hiscè dæmonijs frustraneus tamdiu sermo est? ad pœnitentiam eos moveam & emolliam? scilicet. ubi Lucifer respuerit, ad malam eos crucem ire jubeam? jam sunt in pessima. ab invidia eos dehorte tanquam malorum omnium pessimo? imò ad invidiam adhortabor, ut magis tabescant & urantur. Invidete ô Invidi omnibus, at nemo vobis. quidquid aspicitis, felix faustum fortunatumque sit, ut infelicitatis vestræ cumulus augeatur. videte peccatores, fremite, frendite, tabescite, salvari nolite, nè ex salute vestra

Deus gaudium, sed ex tormentis vestris honorem habeat & solatium. utinam vel invitos in medio Angelorum & Cherubinorum collocare vos mihi liceat, non ad solatium, sed tormentum vestrum; credo enim D. Antonio Paduano docenti: magnam pœnam faceret Deus in vido, si ipsum poneret in gloria paradisi, inter Angelos nimirum animasque beatas. ideo & fratres vestri in aère hærrere permittuntur neq; carceri stygio mancipantur, ut invidiâ magis, quàm gehennâ affligantur. S. Bernardum docentem audio: *diabolus in pœnam suam locum in aère medium inter cœlum & terram sortitus est, ut videat & invideat, ipsâque invidiâ torqueatur.* Videte & invidete, tabescite & inardescite amplius amplius! nunquam

fatis.

* * *

S. Anton.
Pad. ser. 4.
post Dom.
Passionis.

§. 7.
impre-
catio.



PHILIPPICA XII.

In malè fermentatos seu Impatientes

DOMINICA VI.

POST EPIPHANIAM.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis. Simile est regnum cœlorum fermento Matth. 13: v. 31. & 33.

§. I.
Sicut cœlorum, ita & inferorū regnum sinapis & fermento simile.



Vemadmodum regnum cœlorum simile est grano sinapis & fermento, ita & fermento granoque sinapis simile est regnum inferorum, Simius enim Dei dæmon regnum suum ad eam formam ac similitudinem institutæ fatagit, quâ regnum gloriæ præparari ac reformari ab Homine Deo

animadvertit. minimum est sinapis granum, minimum se cum Paulo quisque electus reputat; reprobis pariter quodlibet peccatum pro minimis habet, & à minimis incipit; ut ad maxima perveniat. granum sinapis cum teritur, accenditur; electi cum patiuntur, inflammantur cum Laurentio; reprobi dum adversitate quâpiam teruntur, impatientiâ æstuant & latitantem in

H 3

pe-

pectore ignem manifestant. granum sinapis lachrymas excutit, frontem corrugat, mordet linguam & cum amaritudine exasperat; quia electi, ut D. Ambrosius serm. 2. in hodie. Evangel. loquitur, contristantur animo, affliguntur corpore, permoventur ad lachrymas & salutem suam cum quodam fletu ac mœrore consequuntur; sed & reprobi innocentibus lacrimas excutere, curas irrogare incurias, mordere, exasperare & amaritudines facessere gaudent, verè granum sinapis, sed diabolicum. Fermento pariter simillimi sunt, qui toties & tam facile sunt in fermento, & modica de causa totam massam virtutum exacerbant & corrumpunt. Contra hos malè fermentatos agamus hodie in azymis sinceritatis & veritatis.

§. 2.
Quatuordecim Antitheses inter patientiam & impatientiam

De fermento agens Paulus, paucis complectitur plurima: *nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio sicut estis Azymi* I. Cor. 5. v. 6. & 7. modicum fermenti universam desipit (prout Tertullianus vertit) massam, impatientia omnes virtutes, omne meritum, omnem honorem corrumpit & infascinat. Cum patientia relinquitur, etiam bona reliqua, quæ jam gesta sunt, destruuntur, ait S. Gregorius cit. à V. Beda. S. Chrysostomus verò hom. 4. ad populum. illam domum ait ædificari super arenam, quæ non ædificatur super exemplarem patientiam, Consentit Chrysostomo S. Augustinus ser. 16. ad fratres in eremo: *sicut per impatientiam omnia destruuntur bona, omniaque suffocantur optima, sic & per patientiam omnia generantur bona*, omnes iniquitates demerguntur in profundum. Ionas grande impatientiæ speculum c. 4. v. 5. *petiuit anime sue, ut moreretur, & dixit me-*

lius est mihi mori, quàm vivere. cur? percussit sol super caput Jonæ & estuabat (magis impatientiam intus, quàm calore solis foris) percussit hederam & exaruit. O quàm bene S. Bonaventura l. 2. de perfect. Relig. c. 36. Plures videmus castos, abstinentes, pauperes, semetipfos humiliantes, eleemosynas facientes, orationibus instantes, sed paucos patientes. In tempestate quàm humilis Ionas, in ventre ceti quàm devotus, in prædicanda pœnitentia quàm zelosus, sed quia impatientiæ locum dedit, grandem gloriæ suæ maculam intulit, nimirum *per impatientiam omnia destruuntur bona, omnia suffocantur optima*. Quot bona homini confert patientia, tot damna impatientia infert. patientia vincit omnia, omnia perdit impatientia. exemplum dedere Jacob & Esau, quorum is patientiam & labore superavit omnia, hîc vero præ impatientia famis primogenituram in eaque omnia prodegit, atque ut Petri verbis utar: in abstinentia patientiam, in impatientia pietatē amisit, nimirum *impatientia turbat animum, præterita bona delet; presentia inficit, futura impedit* Facin. l. 1. epist. patientia colligit rosas, impatientia colligit spinas; spectaculū fecere duo latrones crucifixi cum Iesu, quorum alter non rosam unam aut rosetum integrum, sed paradisum totum collegit. alterum verò impatientia sua in spinas maledictionis colligavit. patientia opus perfectum habet, impatientia perfectissimum quodque opus destruit, sicut Thomas Aquinas vocalem statuam Alberti Magni viginti annis elaboratam Coloniae destruxit. patientia animam possidet, impatientia prodigit. Vide Achitophel, quem impatientia spreti consilij redegit ad restim. patientia malorum omnium remedium Jobo est; impatientia do-

Petr. ep. 2.
c. 1. v. 6.

Jacob. 1. v.
4.

lorum omnium augmentum Sauli, cum violentas sibi manus inferret, patientia imperia comparat, pro ut de Romanis Sacer Chronista asserit: *possederunt omnem locum consilio suo & patientia* 1. Machab. 8. v. 3. impatientia regna & imperia funditus evertit; Sicut impatientia Roboami regnum Israël, & impatientia Abner regnum Isboseth, & Narzetis spadonis furor imperium Romanum Logobardorum gladiis claudibusque involvit, Patientia ad honores & thronos elevat, sicut Moysen & Mardocheum elevavit; elevat & impatientia, sed in malam crucem, Amanem & Judam. Patientia de ventre ceti Jonam educit, impatientia in profundum rubri maris Pharaonem inducit, submergitque. Patientia vinculis liberat, Josephum; impatientia compingit in compedes Sedeciam & Manassem, impatientia ignitos serpentes provocat in populum electum, patientia viperas innoxias facit in manu vasis electionis. Patientia divitijs, gloria, felicitate Tobiam auget, impatientia Nabuchodonosorem, Nicanorem & plurimos alios omni spoliat prosperitate. Patientia Samuelem DEO hominibusque reddit amabilem, impatientia Achabum DEO hominibusque reddit exosissimum. Patientia debiles, claudos, coecos ad nuptias magni Regis introducit; impatientia majorem natu fratrem à vitulo faginato & symphonia suavissima excludit. Patientia res DEI, inquit Tertullianus, impatientia opus diaboli; ubi patientia ibi Deus, ubi impatientia ibi daemon. Davidem & Saulem recogita; vir secundum cor DEI David est, quia patiens; alter propter impatientiam daemone traditus in possessionem,

Optarem uniuscujusque nostrum menti inaspere aurea illa

D. Cypriani Rhetoris & Martyris verba liceret, quæ l. de poenit. consignavit: *ut patientia bonum Christi est, sic contra impatientia diaboli malum: & sicut in quo habitat & manet Christus, patiens invenitur; ita impatiens semper existit, cum mentem nequitia diaboli possidet.* capropter facile erit conjecturare, Christus an daemon cor nostrum possideat, ex patientia vel impatientia:

O fervor iræ demonis domus horridi!

Irascor iræ, demonis itus abdito. exclamat Nazianzenus carmine de ira. domus ergo demonis est cor impatientis.

Quærit ingeniosè more suo Tertullianus, quis primus impatientiæ peccato se contaminarit, an Cain, cum Abelem interemit? an Adamus cum à muliere sibi impositum esse dixit: *mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi* Gen. 3. v. 12. an Eva, cum unius arboris usu & esu sibi interdictum doluit? & respondet; primum impatientiæ peccatum non ab homine, sed ab Angelo patratum esse: *Natales impatientiæ in ipso diabolo deprehendo, jam tunc cum Dominum Deum universa opera, quæ fecisset, imagini suæ id est homini subiecisse impatienter tulit. Nec enim doluisset, si sustinisset; nec invidisset homini, si non doluisset. ideo decepit eum, quia inviderat, inviderat autem, quia doluerat; doluerat, quia patienter utique non tulerat.* hæc ad verbum Tertullianus lib. de patient. primum ergo peccatum fuit impatientia, quæ sicut apostatare in coelo fecit Angelum, ita & apostatare in deserto populum electum teste D. Cypriano in illud Exod. 32. v. 1. videns autem populus, quod moram faceret Moyses: *Quod judaicus populus perfidus & ingratus extitit, quod à Deo primum recessit, nonne impatientiæ crimen fuit?*

S. 3.
Quis primus peccarit impatientiâ.

fuit? nec unquam ab eadem impatien-
tia destitit, quò minus crucem & san-
guinem Domini profliret.

S. Zeno
fer. de pat.

S. Bernar-
dus fer. de
obedien-
tia & fer. 2.
de refur.
Idem in
flor. c. 165.

S. 4.
Impa-
tientia
generat
mortem.

Baron. ad
Anno 390i

Benè proinde de impatentia
D. Zeno dixit : *impatientia Mater
criminum, auctor detestabilium, ma-
gistra malorum, actus improvidus
concitans in ruinam.* Si S. Bernardum
interrogem, quid sit impatentia? re-
spondebit : *anima perditio. vide nè
per impatentiam pereas. qui patien-
tiam non servaverit, perdet iustiti-
am, hoc est, vitam perdet.*

Impatentia fermentum est,
quæ totam massam corrumpit, ha-
bitus pestilens est, qui fortissimum
interficat hominem, scintilla est, quæ
magnum excitat incendium sicut
unum pulveris pyrij granum, si in
dolum simili pulvere plenum ca-
dat, aut sicut idem granulum illa-
psum fortè in bombardæ oneratæ
orificium, bombardam displodit &
ferreas mortes evomit; ita unica im-
patentia & sæpe de causa levissi-
ma exorta exitium plurimis affert.
an non impatentia Theodosij Im-
peratoris ob interemptum à paucis
Thessalonicensibus Cæsareum
præfectum septem innocentium
millia internecone delevit? an non
Herodis impatentia, quò delusus
esset à magis quatuordecim millia
parvulorum extinxit? an non
Nazarenorum furor ob paucula
verba à Christo prolata : *ubique di-
cetis mihi hanc similitudinem : Medi-
ce cura te ipsum, in præcipitij peri-
culum Christum adduxit? nec alie-
næ tantum vitæ insidiatur impati-
entia, sed propriam cumprimis fu-
nerat.*

Wenceslaum Regem Bohemiæ,
Mathiam Hungariæ, Valètinianum
impatentia una extinxit, de ul-
timo sic Sozomenus l. 6. c. 6. *Val-
entianus Imperator expeditionem in
Sarmatas & Quados facturum, lega-
tis eorum pacem rogantibus, simul*

intellexit suæ gentis honoratissimos
esse tantopere ob indignationem stoma-
chatus est, ut ruptis venis mortuus
subitò corruerit.

Ingloria (quis neget) ejusmodi
mors est, quin & ingloria eorum est
vita & belluinà deterior! ex Seneca
veritatem audiamus, in impatien-
tes ita detonante : *pusilli hominis &
miseri est repetere mordentem, ut mu-
res & formicæ, ad quas si manum ad-
mo-veris, ora convertunt. imbecillia
se lædi putant, cum tanguntur. tange
formicam, tange murem, tange avi-
culam, statim exardescunt in iram,
quia imbecillia sunt, & se lædi pu-
tant, tange eqvum, tange molossium,
tange Elephantem, non difficile fe-
rent, quia animalia generosa sunt.
Ille magnus Nobilis est, qui more ma-
gnæ feræ latratus minorum canum
securus exaudit. ita Seneca l. 2. de i-
ra c. 32. & 34. cujus censurâ muribus
& formicis pares sunt, teteriores
verò leonibus & elephantibus, qui
facile cedunt impatentia murmu-
rant, mordent, ringuntur, si tangun-
tur, quia se lædi putant. Divinus
Siracides stridulo carro eosdè con-
fert & fatuos appellat : *præcordia fa-
tui quasi rota carri* Eccl. 33. v. 5. fa-
tuam vocat, quia omnis impatien-
tia infania affinis est. infanimus o-
mnes, cum irascimur, inquebat eth-
nicus Philemon, sanctius D. Joannes
Damascenus scripsit : *stultitia est im-
patientem se præbere, causam porrò,
cur stulta sit impatentia reddit D.
„ Augustinus tom. 4. in hæc verba :
„ Impatentes, dum mala pati no-
„ lunt, non efficiunt, ut à malis e-
„ ruantur, sed ut mala graviora pa-
„ tiantur. Patientes autem, qui ma-
„ la malunt non committendo fer-
„ re, quàm non ferendo committe-
„ re, & leviora faciunt, quàm quæ
„ per patientiam patiuntur, & pejo-
„ ra evadunt, quibus per impatien-
„ tiam mergerentur. *præcordia fatui*
cita-**

S. 5.

Impati-
ens inglo-
rius, & stri-
dulo simi-
lis carro.

quasi rota carri stridet, & aures molestiâ immodicâ afficit. & cur stridet carrum? quia inunctum non est; & cur ad impatientiam facillè concitatur mortalis? quia unctiōnem Spiritûs Sancti non habet. non stridebant Apostoli, sed tanquam triumphale divinæ gloriæ effedum, ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt contumeliam pati, unctiōne nimirum Spiritûs Sancti abundabant: *unctiōnem habetis à Spiritu Sancto* 1. Ioan. 2. v. 20. quam unctiōnem impatientes habere non possunt, contristant enim & extingvunt in se Spiritum Sanctum, prout memorabili documento tradidit Hermas D. Pauli discipulus l. 2. Pastoralis, mandato 3. quod

„ si patiens fueris, Spiritus Sanctus
 „ qui habitat in te, mundus erit: &
 „ nō obscurabitur ab aliquo nequif-
 „ simo Spiritu, sed gaudens dilata-
 „ bitur & epulabitur in vasa, in quo
 „ habitat & apparebit Domino hi-
 „ laris in pace magna. Quod si i-
 „ racundia aliqua supervenerit, con-

tinuò Spiritus Sanctus, qui in te est,
 „ angustiabitur & quæret discede-
 „ re; suffocatur enim aspectu ne-
 „ quissimo & non habet locum ap-
 „ parendi Domino, sicut vult: tri-
 „ bulatur enim ab iracundia. ita Her-
 „ mas apud Cornelium in Eccl. pag.
 655.

Si ergo sapimus, si vitam, si salutem, si Spiritum Sanctum diligimus, in fermento non simus amplius, sed expurgemus fermentum malitiæ & nequitiae, Paulinæ adhortationis nunquam immemores: *expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio sicut estis azymi.* illa scilicet s̄vavitare & puritate præditi, quam in regenerationis lavacro accepistis, cum à fermento peccatorum omnium depurati coepistis esse azymum candidum, ad gustum & delicias dulcissimi ac patientissimi vestri Redemptoris.

* * *
 * *
 *



PHILIPPICA XIII.

In Desides.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Quid hic statis tota die otiosi? Matth. 20. v. 6.

S. I.
 Evange-
 lica senten-
 tia expen-
 ditur.



QVot verba tot fulmina: *quid?* quæ excusatio, quod nequitiae palliolum, quis fucus vestram tegere potest desidiam? an quodd nemo vos conduxerit? at conduxit vos natura horâ vitæ vestræ primâ; nati enim estis ad laborem. an labor vires ex-

cedit? imò non nisi diurnus, brevis videlicet & levis est. An de mercede lis & metus? jam numeratus est denarius omnibus veræ felicitatis numeris, omnibus bonorum generibus, omnibus gloriæ & opulentiae thesauris absolutus. dicetis fortè: leo est in via, leo est in vinea; at hic de tribu Juda leo arcet stigium illum leonem, qui circuit quærens

I